

II. *Ab aliis plurimis locis, vbi DEVS dicitur visus esse a facie ad faciem. 1. Cor. XIII, 12. Ps. XVII, 15. Ad quod vero alii respondent, textuum horum circumstantias arguere, non de visione corporis, sed mentis, sermonem esse. Denique alii, neque temere negandum, neque indubitato asserendum esse, sed reseruandam certam eius cognitionem in alteram vitam, censent. Probant*

I.) *A cognitione DEI.* Si enim homo, non obstante disproportione humani eiusque finiti intellectus ad DEVM infinitum, tamen DEVM cognoscit, neque negandum esse videtur, videri DEVM posse, non obstante illa disproportione.

II.) *A non satis liquida Scripturae determinatione.*

§. 24. *Consistit autem visio DEI beatifica radicaliter in eminentissima essentiae, personarum, attributorum, consiliorum, actionum, mysteriorumque diuinorum notitia, consequenter in amore eius intensissimo, secundum notitiam illam instituto. Probat*

*De natura visionis beatificae.*

I. *Ex indubia Scripturae ipsius interpretatione, I. Corinth. XIII, 12. 13.*

II. *Ex ipsius rationis naturalis ductu.* In eo enim summum hominis bonum formaliter consistit, quod est actionum omnium humanarum perfectissimum et nobilissimum. Iam nihil nobilius esse potest actione intellectus et voluntatis. Eae enim facultates homini competunt, vt homo est, cum ceteras omnes cum bestiis communes habeat.

§. 25. *Quanquam vero, quoad ipsam felicitatis coelestis essentiam omnes beati aequali beatitudine fruuntur,*

*De gradibus gloriae coelestis.*